

De tussi convulsiva ... / [Amonn Richart Holtermann].

Contributors

Holtermann, Amonn Richart, 1757-1824.
Tode, Johann Clemens, 1736-1806.
Københavns universitet.

Publication/Creation

[Havniae] : J.R. Thiele, [1786]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d6w5sebx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

TUSSI CONVULSIVA

PRAESIDE

JO. CLEMENTE TODE

MED. D. ET P. P. AULIATRO REGIO ETC.

PRO GRADU DOCTORIS

DISPUTABIT

AMUNDUS RICHARDUS
HOLTERMANN

NIDROSIA NORVAGUS

IN

SÆLANDIA MERIDIONALI MEDICUS REGIUS.

HAVNIÆ AD D. AUG. c1010CCLXXXVI.

H. F. Q. S.



EX OFFICINA J. R. THIELE.

Regia Facultas medica Havniensis judicat hoc specimen dignum luce publica; sed dat auctori soli defensionem ejusdem a sententia criticorum.

J. C. TODE.

p. t. Prodecanus.

VIR O
PER ILLUSTRIS, CONSULTISSIMO
INTEGERRIMO
CANUTO HOLTERMANN
S. R. M. A CONSILIIS CIRCA RES PUBLICAS
IN TRIBUNALI SUPREMO ADSESSORI
COMMUNITATIS REGIÆ
OECONOMO

OB
TENERRIMUM NON MODO AFFECTUM,
SED VELUTI PATERNAM CURAM
QUIBUS FRATREM
PUERUM, ADOLESCENTEM, IUVENEM,
NUMQUAM NON
FOVIT, SUSTENTAVIT, EREXIT
HOC, QUIDQUID EST PAGELLARUM
SACRUM ESTO.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library



PRÆFATIUNCULA.

Legibus academicis, elaboranda & defendenda dissertatione inaugurali, ceu altero publico & solemni profectuum meorum specimine, satisfacturus, haud incongruum duxi, proprio commodo prospicere, proque disputationis argumento morbum seligere, quem præ multis aliis cognitum & perspectum habere oportet Medicum praxin adgredientem. Talem esse Tussim convulsivam, utpote malum frequenter epi-

demicum, tenellos infantes invadens, spem patriæ toties præcidens, artemque medicam spernens, nemo inficias ibit. Cui autem morbo delineando & pertractando quo minus impar essem, non propriis modo doctrinæ subsidiis usus sum, sed etiam alios fontes, quos amplissimus Præses, præceptor fautorque ætatem colendus, mihi indicavit, adii.

Morbi denominationes.

§. I.

Tussim convulsivam latino sermone etiam ferinam (a) ut & *clangosam* (b) dicere consueverunt auctores.

Propter summam ejus violentiam *Pertussis* vocabulo usus est immortalis
SYDEN-

(a) Ita apud ETTMÜLLERUM, HOFMANNUM & alios.

(b) BOURDELIN in *Quæstione med. an tussi puerorum clangosa, vulgo Coqueluche, emesis?* Paris A. 1752 defensa.

SYDENHAM (c), cujus exemplum secuti sunt viri celeberrimi, HUXHAM (d) & CULLEN (e), & nuperrime etiam Cl. KECK (f).

In vernacula nostra sub mutuato a Germanis nomine *Kighoste* venit (g), sicut Sveci quoque perinde peregrina voce *Keihoste* utuntur.

In lingua Germanica audit *der Keich-*
busten, der Krampfbusten, der Stick-
 A 2 *busten*

(c) *Prax. med. univ. S. 4. C. 5.*

(d) *De aëre & morb. epid. ad a. 1732.*

(e) *In Synops. Nosol. meth. & Pract. of Physick.*

(f) *Diss. inaug. super Pertussi, Viteberg. 1783.*

(g) Anne potius *Highoste* vel *Krampehoste* dicenda?

husten (h), der blaue Husten (i), das Hühnerweh (k).

Anglis dicitur *the Chincough, the hooping Cough; the Kinkcough.*

Galli utuntur nomine *Coqueluche*.
Cel. HECQUET (l) morbum salutavit
Architoux.

Originem harum denominationum facile perspiciet, qui dictas linguas callet & phænomena sub paroxysmo hujus mali occurrentia novit.

Hos

(h) MELLIN vom *Stickhusten der Kinder zu Langensalza in den J. 1768 und 69.*

(i) OFTERDINGER *Unterricht fürs Landvolk* §. 116.

(k) Ita in versione Germanica *Traſtatus Mil-
lariani.*

(l) *Medecine des Pauvres* T. 2. p. 306.

Hos paroxysmos Galli dicunt *les Quintes* (m) Angli *the whooping fits* vel *the Kinks* (n).

Morbi antiquitas.

§. II.

Tuffin convulsivam Veteribus incognitam fuisse, nec in Europa ante a. 1415 exstitisse putant nonnulli (o). Sunt, qui statuunt, ex Africa vel India orientali ad nos pervenisse (p). Alii HIPPOCRATI & AVICENNÆ notitiam hujus morbi vindicare adnituntur (q).

A 3

Hanc

(m) SAUVAGES *Nosol. meth.* Cl, 5, O. I. G. 5. Sp, 17.

(n) BUTTER *Treatise on the Kinkcough* p. 3.

(o) BOURDELIN l. c. uti & BUTTER l. c.

(p) ROSENSTEIN in aureo de morbis infan-
tum opere.

(q) Acerrimus Butteri Antagonista anonymus,
in *Animadversions upon a late treatise on
the Kinkcough* 1774.

Non nostri est tantas componere lites.

Hancque rem eo magis 'relinquimus in suspenso, quo minus invenimus apud sedulum veterum monumentorum scrutatorem, Ill. GRUNERUM (r), quod lucem nobis præferat.

Morbi definitio.

§. III.

Tussim convulsivam minime cum Ill. CULLEN, propter suam violentiam ex Tussium genere removendam (s) esse puto. Aliæ enim hujus generis species, ut catarrhalis, æque vehementes & strangulationem minantes non raro cernun-

(r) *Antiquit. morbor.*

(s) Quod optime factum censet Cl. KECK in Diss. cit.

nuntur (*t*). Eodem jure putrida Dysenteria, utpote periculi plenissima, a ceteris Dysenteriis separare, & sub superlativa quadam denominatione in novum & singulare genus transformari posset.

§. IV.

Est igitur morbus, de quo agitur, species Tussis, seu violentæ, thoracem concutientis & sonoræ, expirationis, quæ species ab omnibus aliis sese distinguit duabus notis characteristicis, nempe inspiratione sub accessu longa, iterata, difficillima, acuti, galli cantui fere similis soni (*u*), & recurso paro-

A 4

xysmo-

(*t*) Legitur etiam de *Tussi ferina*, adeoque violentissima, ex ulcere brachii sanato, in *Ephem. Nat. cur.* Cent. 5 A. 4 O. 1.

(*u*) Hoc symptoma, quod morbo pleraque sua nomina dedit, ab omnibus auctoribus systematicis tanquam nota characteristicam admittitur.

xysmorum periodico (v), ad causas evidentes non adstricto (w).

§. V.

Ad specificum tussis convulsivæ characterem non referimus strangulationis, quod secum fert, periculum (x); nec exacerbationes alternis diebus conspicuas (y); nec vomitum, qui toties paroxys-

(v) In characterem Tussis ferinæ recipit quoque Cl. SAGAR, *System. morb. sympt.* Cl. 8. O. 1. G. 5. sed inter hanc & convulsivam distinguens.

(w) In catarrhali etiam dantur paroxysmi sed ab evidentibus causis pendentes.

(x) Ut Ill. Cullen placuit.

(y) Pro characteristica harum dignitate pugnat Ill. ROSENSTEIN in aureo suo de Morbis infantum opere, uti & Cl. MEL-LIN in tractatu vom Keichhusten der Kinder in den Jahren 1768 und 69. Negat omnino summus Vir, MAX. STOLL in *Rat. med.* Vol. II.

xysmum terminat (*x*), nec indolem morbi epidemicam (*a*) nec ipsum ejus contagium (*b*), ut de reliquis putatiis signis characteristicis non dicam. Etenim omnia illa vel non satis evidenter (*c*) in quolibet ægroto cum hoc affectu conflante observantur, vel in aliis præterea tussibus (*d*) occurrunt, hinc morbi characterem specificum ingredi non debent.

A 5

Mor-

(*z*) *Sape cum vomitu*, dicit venerandus senex CULLEN: ita etiam Cl. BUTTER l. c.

(*a*) Epidemicum esse, longe certius est, quam infectione propagari. *Sæpius epidemicam* dicit ferinam Cl. SAGAR.

(*b*) Admittit Ill. CULLEN; negat Ill. STOLL.

(*c*) Contagium non satis evictum esse, inferius monstrabimus.

(*d*) Vomitus etiam datur in Tussi stomachali.

Morbi historia.

§. VI.

Decursum Tussis convulsivæ communem enarrantes, haud incongrue illum in tria stadia, principium nempe, progressum & finem dispesci posse putamus (*e*).

§. VII.

Prinzipium, seu potius præludium, morbi cum tussi catarrhali multam habet similitudinem; eadem enim symptomata tunc observantur, scilicet tussis brevis, sicca; rucedo; dolor faucium; coryza, oculorum sensilitas & lacrymatio; cephalalgia; inappetentia; lassitudo &c. (*f*).

§. VIII.

(*e*) III. STOLL l. c. admittit duo stadia, ubi nempe vel solus ventriculus, vel simul pulmones sedem mali sistant. Sed quamprimum morbus reapse adest, pulmones etiam affectos esse, nemo non videt.

(*f*) BUTTER l. c.

§. VIII.

Levitas morbi in isto suo principio & similitudo cum tussi catarrhaali toties fallunt medicum, ne dicam parentes, ut pro tali habitus vel plane negligatur, sicque dictis pectoralibus propinatis tempus ipsi concedatur altiores figere radices. Prudens autem quisque Medicus respiciet ad epidemiam prævalentem vel contagium probabile, ad indies invalescentem mali vehementiam, subnascentes exacerbationes & alia.

§. IX.

Durare solet istud præludium aliquot hebdomades (*); sed difficile est generalis quid in hac re determinare. Valde enim imperceptibili gressu morbus in alterum stadium transit. Semel per totum suum decursum catarrhi formam servasse, quæ tamen convulsiva erat, Ill. CULLEN vidit.

§. X.

(*) Sic plurimi auctores; aliquot dies DE HAEN.

§. X.

In suo progressu igitur larvam depōnit Tussis convulsiva; jam ista accedit paroxysmorum gressu: statis enim fere horis recurrit, prodromumque habet quilibet paroxysmus, & forma sua convulsiva, strangulatoria, ab omnibus ferme aliis sese distinguit.

§. XI.

Prodromus communissimus paroxysmi est oppressio quædam vel irritatio in scrobiculo cordis; interdum autem titillatio in summo larynge, vel doloris sensus in pectore, vel cephalalgia, vel aura tremula ex pedibus adscendens (g) Quibus perceptis infans ex instinctu quodam, ne sub concussione jamjam secutura prosternatur, anxie quærit quo firmet corpus; sinui materno, mensæ, parieti &c. caput appōnit, & sic porro,

(g) BUTTER.

ro, tussicula levamen procurare frustraneo conatu satagens (*h*). Tussim jamjam edituros non angi modo, sed irasci, omnia a se removere, nutrices parentes que pugnīs petere vidit Cel. DE HAEN (*i*).

§. XII.

Hæc per aliquot minuta, quinimmo per integras horas (*k*), tenent misellum, donec paroxysmus ipse accedat.

§. XIII.

Paroxysmus autem varia exhibet phœnomena, tetra & terribilia omnia. Nam hic non sola exspiratio, sed vel magis ipsa inspiratio a natura vehementer aberrat, caputque & venter afficiuntur.

§. XIV.

(*h*) VOGEL *de cogn. & cur. m.* p. 412.

(*i*) BUTTER, BOURDELIN.

(*k*) *Prælect. in BOERH. Instit. path.* T. III.
P. 335.

§. XIV.

Exspiratio, quæ proprie Tussim sistit, aëre expulso sonum edit asini rudentis (*l*). Quinque vel sex conatibus absolvitur quælibet exspiratio (*). Prima hebdomade, vel diutius, sicca est; postea vero secum vehit muci glutinosi pauxillum. Interdum tamen tenuem serosum elidit laticem (*m*): nec infrequenter sputo cruento stipatur.

§. XV.

Sub convulsiva hac aëris elisione totum corpus ita succutitur, ut sphincteres non raro relaxentur, adque gibbositatem, hernias(*), procidentiam ani, & in scæminis præterea, uteri prolapsum, abortumve disponatur corpus. Costam
sub

(*l*) VOGEL l. c.

(*) SELLE.

(*m*) BUTTER l. c.

(*) Hernias umbilicales HOLDEFREUND.

sub paroxysmo fractam memorat Cl.
GOOCH (n).

§. XVI.

Inspiratio autem qualis fit, superius
jam diximus (o).

§. XVII.

Facies sub tanta circuitus minoris dif-
ficultate turgēt & violaceo quasi colo-
re (p) suffunditur. Quinimo brachia
ipsa livent (q). Dantur tamen in qui-
bus leucophlegmaticus tumor faciem
occupat (*).

§. XVIII.

Magna vero inde nata congestio non
modo capitis dolorem, oculorum pro-
trusi-

(n) *Medical and chirurg. Observ.* 1767.

(o) §. IV.

(p) VOGELII verbis utor.

(q) DE HAEN l. c. BUTTER l. c.

(*) VOGEL.

trusionem, lacrymarum mucique narium fluxum producit, verum etiam apoplexiæ, epilepsiæ, sensuumque vitiiis viam sternit. Unde non mirum, ophthalmiam, fugillationemve oculorum toties observari in hoc morbo (*r*).

§. XIX.

Ab eadem sanguinis in capite accumulatione pendet hæmorrhagia (*s*) narium, quæ toties paroxysmo supervenit, eumque fere semper solvit. Ex oculis interdum sanguis profluit (*t*), quinimmo ex labiis (*u*).

§. XX.

Sive eidem causæ (*xix*) sive circuli minoris summæ difficultati tribuendum sit,

(*r*) HOLDEFREUND *Abhandl. vom epidem. Keichhusten im Jahr 1775.*

(*s*) CULLEN l. c.

(*t*) Ex vasculis conjunctivæ, VOGEL; ex palpebra inferiore DE HAEN.

(*u*) VOGEL l. c.

fit, certum est, sub graviore accessu nonnullos infantes sui inconscios, rigidos, adque speciem exanimes fieri; post minutum unum & alterum cum suspiriis & gemitu ad se redire (v) præsertim si vomitus in auxilium veniat (w).

§. XXI.

Sanguine autem, sub laboriosissima & protracta inspiratione non secus ac ipsa tussi, circa cor & in pulmonibus accumulato debetur suffocationis illud periculum, quod quem libet paroxysmum comitatur.

§. XXII.

Accedit tandem in plurimis, præcipue post pastum vel sputi deglutitionem (x), ventriculi inversio, & contentorum ejus, præsertim multi muci

B

spissi

(v) Id. ib. BUTTER l. c.

(w) BUTTER. Confer, ROSENSTEIN.

(x) CULLEN, &c.

spissi atque tenacis (*y*). Iste vomitus nunquam non levat paroxysmum, qui sine hac evacuatione gravior & pertinacior est citiusque, quam aliter obtinuisset, recurrit (*z*). Interdum ipse sanguis excernitur (*a*).

§. XXIII.

Dantur paroxysmi, in quibus sphincteres, tam alvinus quam vesicalis, retinendis suis contentis impares fiunt, quæ evacuatio etiam levamen adferre solet (*b*).

§. XXIV.

Varia symptomata convulsiva (*c*) ad graviolem paroxysmum, imprimis in
sensi-

(*y*) Spermati ranarum similem dicit Cl. KECK, qui etiam nunquam sine ingestorum evomitione hunc mucum prodire videt.

(*z*) BUTTER.

(*a*) Id.

(*b*) BUTTER.

(*c*) VOGEL.

senfilioribus subiectis, accedere posse patet.

§. XXV.

Lingua ut plurimum exseritur, frigent extrema, pulsus fere evanescit (*d*) frigidusque non raro sudor faciem perfundit (*e*).

§. XXVI.

Post finitum paroxysmum in nonnullis ructus erumpunt (*f*), qui non secus ac flatus, inferius expulsi, levamen afferunt (*g*): sæpe exspiratio adhuc paulisper laborat (*h*); alii delassati sunt, sed mox ab omni incommodo, quod tussis attulerat, immunes fiunt (*i*).

B 2

§. XXVII.

(*d*) STOERK Præc. med. pr. T. I. p. 276.

(*e*) Id.

(*f*) VOGEL.

(*g*) HOLDEFREUND.

(*h*) CULLEN.

§. XXVII.

Paroxysmus variæ est durationis; plerumque cum secunda expiratione vel vomitus vel expectoratio sequitur (*k*). Per plurima tamen minuta durare (*l*) in aliis solet; immo per integram horam hæc tragœdia in nonnullis luditur (*m*).

§. XXVIII.

Recurrit in nonnullis post dimidiam horam; in aliis autem singulis, binis, ternis, quaternis horis redit (*n*). Quamdiu deest vomitus, frequentius ægrum vexat (*o*).

§. XXIX.

(*i*) Id. uti & HOLDEFREUND; attamen in optimis intervallis morosos & difficiles esse BUTTER.

(*k*) CULLEN.

(*l*) BUTTER.

(*m*) STOERK.

(*n*) BUTTER.

(*o*) ROSENSTEIN, STOLL.

§. XXIX.

Periodum ab his paroxysmis plus minus accurate fervari longe plures affirmant auctores (*p*), quam negant (*q*).

§. XXX.

Paroxysmum ante tempus revocant ingluvies, potus aërq̃ue frigidus, motus corporis præceps, animique pathema (*r*). Uti & digestu difficilia, odores fortiores, verbo, quidquid vias aëriferas stimulare potest (*). Eundem nihil fere aggravat magis & imminentius strangulationis periculum inducit, quam ventriculum onerans pastus (*s*).

B 3

§. XXXI.

(*p*) ROSENSTEIN, BUTTER, STOERK, SELLE, MELLIN & alii.

(*q*) Ill. CULLEN ex pauculis his est.

(*r*) BUTTER, HOLDEFREUND.

(*) CULLEN. Cantu & risu STOLL.

(*s*) ROSENSTEIN.

defunt testes, dyspnoeam (*) vel stertorem (e) superfuisse in intervallis. Ast lassitudo, virium dejectio & inquietudo remanent. Inappetentia (f) autem, vomitu primam culinam strenue expurgante, transit in voracitatem, adeo ut paroxysmo superato cibos vehementer cupiant ægri (g). Dantur tamen, qui sine fame, sine modo, sine fine, sine delectu ingerunt alimenta (h). Lingua interdum muco viscido obducta (i). Facies extra paroxysmum pallida & tumidula (k). Urina limpida (l), qualem speciem in spasticis adfectibus præ se ferre consuevit. Alvus ut plurimum

(*) CULLEN

(e) MELLIN.

(f) BOURDELIN.

(g) BUTTER, MELLIN

(h) BOURDELINI sunt verba.

(i) MELLIN.

(k) Id. uti & BUTTERI adversarius.

(l) VOGEL.

mum dura & fegnis (*m*), nisi deglutitum sputum diarrhoeam producat, colica & excoriatione circa anum stipitam (*n*). Cutis sicca & frigida (*o*) sub progressu tamen non raro sudores (*p*). Pulsus sæpe celer & parvus (*q*).

§. XXXVI.

Pervenimus ad morbi finem & terminationem, quæ duplex, læta nempe vel tristis.

§. XXXVII.

Læte terminatur ille, si vel sponte vel arte juvante in sanitatem transeat: tristis est eventus, si vel paroxysmorum vehementia vel alius gravissimi morbi accessione lethalis fiat.

B 5

§. XXXVIII.

(*m*) VOGEL.

(*n*) BUTTERI adversarius,

(*o*) Id.

(*p*) VOGEL.

(*q*) Dicitur antagonista.

§. XXXI.

Tempore nocturno infestiores esse paroxysmos communi ferme auctorum testimonio confirmatur (*t*): contrarium tamen observavit testis fide dignus (*u*).

§. XXXII.

De exacerbationibus huius tussis alterno quolibet die observatis inter auctores disputari, diximus (*v*).

§. XXXIII.

Quanquam vero illas pro nota specifica admittere nequeamus (*w*), per frequenter tamen in hoc morbo occurrere minime negamus. (*x*)

§. XXXIV

(*t*) BUTTER, CULLEN, DE HAEN & alii.

(*u*) HOLDEFREUND.

(*w*) In una epidemia manifestas, in altera obscuras vidit AASKOW *Act. Soc. med. Havn.* Vol. I. Tacet de ipsis CULLEN.

(*x*) Etiam in postrema epidemia Havniensi vidimus.

§. XXXIV.

Evidentioribus Tussis convulsivæ signis (y) comitem sese addit Febris, interdum acuta (*) plerumque tamen moderata & catarrhali similis (z), varios typos servans (a), deinde plane vaga (b). Dantur tamen ægri in quibus nulla adest (c). Defervescere potest febris acuta, tussi æque pertinace manente (d).

§. XXXV.

Inter paroxysmos plerumque satis bene procedit respiratio. Neque tamen-

B 4

de-

(y) BUTTER.

(*) DE HAEN.

(z) VOGEL. Vespertinas exacerbationes
CULLEN.(a) Tertianam VOGEL, quartanam HOLDEFR.
Nunquam plane intermittentem vidit CUL.

(b) DE HAEN. Sed sensum saltem frigoris in imis cruribus adesse ROSENSTEIN.

(c) HOLDEFREUND.

(d) DE HAEN.

§. XXXVIII.

Si feliciter evenit morbus, paulatim mitiores fiunt paroxysmi rariusque recurrunt; vomitus cessat; extrema naturalem recuperant temperiem; cutis mollis fit & humida, alvus libera, interdum laxa, viresque una cum colore vivido naturali redeunt (r).

§. XXXIX.

Crises per sudorem vel urinam secundum nonnullos (s) occurrunt, secundum alios raro vel numquam in hoc morbo observantur (t); per alvum tamen judicatur (u). Metastases autem varias adnotarunt auctores: eruptiones
cuta-

(r) BUTTER.

(s) VOGEL.

(t) HOLDEFREUND.

(u) Id. uti & VOGEL.

cutaneas (v) in capite præsertim (w) uti
& circa labia, (x) tumores pone aures (y).

§. XL.

Si morbus sine alius accessione lethalis fiat, strangulationem, apoplexiam vel epilepsiam in violentissimo paroxysmo ægrotum interimere (z) patet.

§. XLI.

Morbi, qui ex Tussi convulsiva nati hanc ocyus ferius lethalem reddere possunt,

(v) LENTIN *Memorab. Clausthal.* 1775.
Scabiem & miliaria VOGEL.

(w) HOLDEFREUND. HUBER *Obs. circa morbos aliquot epidem.* 1775.

(x) Labium inferius excoriatum & crusta mucosa cruenta obductum vidit Cel. LENTIN.

(y) Hist. de l' Acad. des sciences A. 1749.
varat. VOGEL.

(z) Suffocatos in paroxysmo viderunt FÜRSTENAU *Eph. N. C.* Tom. 8, pag. 153.
ARAND.

sunt, sunt hydrops (a), peripneumonia (b), hectica (c), & alia. In febris putridam degeneravit epidemia (d).

§. XLII.

Alios Tussis convulsivæ pravos effectus superius (e) iam recensuimus. Ex reliquis præcipuus & solemnior est debilitas & que inde iterum proflunt mala

ARAND. *Obs. med. chir.* 1770. De capitis morbis lethalibus vid. BUTTER, CULLEN, VOGEL &c.

(a) ROSENST. MELLIN. HOLDEF.

(b) Hæc sublatos vidit Cl. GRIMM *Nov. Act. N. C. T.* III. p. 201. ut & ZWINGER *Act. Helv. T.* III. Felicius tamen morbum superasse illos, qui simul hac tussi laborabant, HOLDEFREUND testatur.

(c) VOGEL, BUTTER &c. Huc etiam referendæ inflammationes & suppurationes laryngis quos adducunt auctores. Vomicam vidit QVARIN *Animadv. pract.* c. 3.

(d) HUBER.

mala (f). Inter alia impotentiam vilem inde natam & incurabilem vidit Ampl. Præses (g). Racchiditi ab hoc morbo viam sterni (h) per se patet. Scrophulas sequi alii observarunt (i). Anevrysmatibus ansam præbere Tussin convulsivam Cl. MATTANI (k) putat. Asthmaticos evadere nonnullos alii testantur (l). Cariem ex hac tussi natales trahere alius. (m).

§. XLIII.

(f) Ipsas resolutiones viderunt BUTTER, FÜRSTENAU, VOGEL & alii.

(g) Etiam apud alium legitur, de tali seqvela: Ex BUTTERI opere adducit GESNER, *Entdeck. der neuesten Zeit* Vol. II. Sed BUTTERI non est.

(h) HUXHAM, BUTTER.

(i) BUTTER, BISSET.

(k) *De anevrysmat. præcordior. Morb.* 1736.

(l) BUTTER.

(m) VOGEL.

§. XLIII.

Neque tamen bono effectu carere crudeli hoc malum legimus. Immunitatem enim infantibus a variolis præstare Cl. HANNES (n) auctor est, qui etiam alium citat huius rei testem (o). Vidit tamen ipse ille vir Tussim convulsivam cum variolis (p). Nec obstat felici harum insitioni (*).

§. XLIV.

Tussis convulsiva frequens est Morbillo-
 rum pedissequa (q) comitem vero
 observarunt haud pauci (r). Cum va-
 riolis

(n) *Nov. Act. N. C. T. V. p. 327.*

(o) CHILIANI *Act. med. Vratislav. 1719.*

(p) HANNES l. c.

(*) BUTTER.

(q) GRIMM. *Vid. Causs. morbi.*

(r) HOFMANNUS, LENTIN, BUTTER
 & Havnienses.

riolis (s), scarlatina (*) febre biliosa (t), cum aphthosa (u) petechiali (†) verminosa (v), intermittente (w) dysenteria (x), peripneumonia (y) alii. Cum dentitione creberrime occurrit (z), quod a morbo, qui hominem in tenella ætate invadit, non expectari non potest.

Morbi prognosis.

§. XLV.

De duratione tussis convulsivæ diversa leguntur apud auctoris. Plerique obser-

(s) HANNES.

(*) BRÜNING *Constit. epid. Essend.* a 1769-70.

(t) STOLL, uti & ampl. Præses: cum indole biliosa KECK.

(u) HOFMANN.

(†) BISSET *Medical Essays and Obs.* 1766.

(v) SAUVAGES, BUTTER.

(w) FLOYER on the Asthma. BUTTER.

(x) BUTTER.

(y) HUXHAM.

(z) BUTTER.

observarunt, uti & nos, morbum durare tres menses (a), quinimmo dimidium iannum, si sibi relictus fuerit (b). Alii intra binos menses (c) vel citius, rite tractatum (d) recessisse testantur. Variare autem oportet durationem huius tussis, propter variam eius vehementiam, ægri constitutionem & epidemiæ indolem. Post convulsivum morbum debellatum simplex tussis remanere per fat longum tempus potest (e).

§. XLVI.

(a) ROSENSTEIN, ZWINGER, BUTTER, HOLDEFREUND, CULLEN &c.

(b) ROSENSTEIN.

(c) ARAND vidit septem hebdomadam, DE HAEN duarum.

(d) RÜHLING *Beschreib. von Nordheim.*

(e) BUTTER.

§. XLVI.

Recidivis (*) valde obnoxius est iste morbus (f) quæ iisdem fere causis, unde paroxysmum revocari diximus (g), debentur. Recidivæ tamen ipso morbo minus rebelles & periculosæ esse solent (h). Ipsam epidemiam, postquam deferbuisse visa esset, denuo caput extulisse observarunt Londinenses a. 1749 (i).

§. XLVII.

Hominem semel hanc tussim passum numquam amplius eadem corripit affir-

C

mat

(*) Pro recidiva non habendum, si post aliquot dierum silentium iterum insurgat, DE MEZA.

(f) STOLL. Nullam omnino se vidisse testatur KECK.

(g) § XXX. Dentitionem recidivas provocasse vidit Ill. AASKOW, *Act. Soc. med. Havn.* Vol. I.

(h) BUTTER.

(i) BUTTERI adversarius,

mat, triginta octo annorum experientia & celeberrimorum virorum (*k*) testimonio fretus, summus vir, ROSENSTEIN, plurimique cum illo consentiunt auctores (*l*).

§. XLVIII.

Neque tamen nemo huic assertioni contradicit. Non loquimur de observatione Cl. MORRIS (*m*), qui post autumnalem tussim convulsivam recidivas vernaes vidit; nam facile occurrit, hic non satis verum relapsum, qui curatum supponit morbum, sed recrudescens modo post inducias malum, in-

(*k*) HILLARY & KIRKPATRICK.

(*l*) SAUVAGES, BISSET, BUTTER, SELLE, CULLEN & alii Nec in Havnia nostra de ullo, hac tussi bis correpto, audivimus.

(*m*) *Med. Ess. and Inquir. of a Soc. at Lond.*
T. III. Obs. 6.

invenisse locum (*n*). Sed æque magnæ auctoritatis medicus, Ill. STOLL negat (*o*), & ante eum negavit Cl. HANNES, qui post intervallum trium annorum morbum eisdem ægros invaluisse testatur (*p*).

§. XLIX.

Ad periculum hujus morbi quod attinet, uti fere semper gravissimus, ita etiam sæpe lethalis est (*q*). Sequentia autem discrimen augent: ætas tenella,

C 2

infra

(*n*) Idem suspicatur Ill. MURRAY in adnot. ad hunc locum in versione operis Rosensteiniani.

(*o*) l. c.

(*p*) *Nov. Ad. N. C. T. V.*

(*q*) ROSENSTEIN. Plures occidere quam ipsas variolas DE HAEN.

infra duos annos (*r*); dentitio (*s*); hæ-
reditaria dispositio ad morbos pecto-
ris (*t*) & capitis (*u*); graviditas (*v*); hy-
steria (*w*); vermes (*x*); debilitas ma-
gna (*y*), præsertim pulmonum (*z*);
com-

(*r*) BISSET & AASKOW observarunt pusi-
onibus dentitionem nondum passis funesti-
orem. Consentit CULLEN. MELLIN
infra tertium annum plarimos interiisse
narrat.

(*s*) HOLDEFREUND, qui idoneum citat
HOFMANNI locum. Ante eruptionem
dentium caninorum funestiorum esse statu-
it BISSET.

(*t*) BUTTER, CULLEN.

(*u*) BUTTER.

(*v*) Id.

(*w*) AASKOW.

(*x*) BUTTER.

(*y*) BUTTER, VOGEL, CULLEN.

(*z*) BUTTER.

complicatio cum morbillis (*a*), vario-
lis (*b*), peripneumonia (*c*) dysenteria (*d*);
paroxysmi violentiores (*e*); defectus
sputi (*f*), vomitionis (*g*), beneficii ven-
tris (*h*), eruptionis cutaneæ (*); hæ-

C 3

morr-

(*a*) Id. HOFMANN.

(*b*) Id. Correpti variolis usque ad exsiccati-
onis tempus a tussi immunes manent, quo
nunc vehementiore impetu & majore pe-
riculo affligantur, VOGEL.

(*c*) Id. ZWINGER, GRIMM.

(*d*) Id.

(*e*) Hoc per se patet; observavit tamen Cl.
ARAND vehementiorem morbum simul
breviorem fuisse.

(*f*) BUTTER, HOLDEFREUND. Nimis
copiosum æque nocere CULLEN testatur.

(*g*) Ibidem.

(*h*) Ibidem.

(*) HOLDEFREUND.

morrhagiæ profusæ (*i*); dyspnoea & febris (*k*); convulsionum (*l*) vel soporis (*m*) accessio; morbi neglectus (*) vel mala tractatio (*n*); subitanea denique eius cessatio (*o*) & prava diæta (†).

§. L.

Minus triste est præsagium, ubi ægrotus iam superavit dentitionem (*p*), viribus

(*i*) Id. CULLEN, QUARIN *Animadv. præf.*
c. 3.

(*k*) CULLEN nullum fere hoc morbo perisse vidit CULLEN quin hæc dyspnoes gradu majore cum febre adfuerit.

(*l*) HOLDEFREUND.

(*m*) QUARIN.

(*) MELLIN.

(*n*) Inde violentiorem AASKOW & DE MEZA.

(*o*) Peripneumoniam inde natam AASKOW.

(†) DE MEZA a farinaceis & ab otio.

(*p*) Cum annis periculum decrescere affirmat CULLEN. Adultis non adeo nocuisse restatur

ribusque gaudet; ubi morbus est minus vehemens, epidemia mitioris ingenii, expectoratio, vomitus (*q*), respiratio inter paroxysmum libera (*r*), hæmorrhagiæ narium modicæ (*s*), vel eruptio purulenta in capite (*t*) adest.

§. LI.

Morbum abeuntem declarant paroxysmi mitiores facti & incrementa eorundem intervalla, sputum ad naturalem consistentiam & colorem se recipiens, restituta respirationis libertas & natura-

C 4

lis

statum RÜHLING. In his tamen inflammationes pectoris frequentius subnasci, BUTTER.

(*q*) Ita una ore omnes. Cum vomitu & sequente mox appetitu hanc tussim raro periculofam vidit CULLEN.

(*r*) CULLEN.

(*s*) BISSET, QUARIN & alii.

(*t*) HOLDEFREUND.

lis extremorum temperies, cutisque mollities & humiditas, alvus libera, interdum laxa, vomitus cessatio, appetitus, somni placidi, virium carniūque reditus (u).

§. LII.

Mala in tussi convulsiva signa ex enarrata ejus historia & prognosi facili negotio eruuntur, unde harum singularem recensitionem præterire liceat.

Morbi causæ.

§. LIII.

Difficillimum est in tussis convulsivæ ætiologia distinguere causas, quæ occasionem præbent morbo, ab illis quæ prædispositum reddunt corpus ad illum suscipiendum. Remotas igitur simul pertractare fas sit.

§. LIV.

§. LIV.

Pro singulari prædispositione ad hunc affectum habendam esse ætatem infantilem (v), ut pote sensilitate & irritabilitate, hincque proclivitate in spasmos majore, prædita (w), non satis probabile videtur. Verum quidem est, adultos longe rarius (x) a tussi convulsiva corripì; sed hoc rectius explicatur ex valde exiguo illorum, qui nondum hunc morbum passi sunt, numero (y), quam ex imminuta cum annis receptivitate (z). Mediæ, quinimo pro-
 vectioris, ætatis homines tussi convul-

C 5

siva

(v) VOGEL.

(w) BUTTER.

(x) HOLDEFREUND in epidemia ab eo delineata nullum vidit ægrum, qui secundum lustrum emensus fuerit,

(y) CULLEN.

(z) BUTTER.

siva corripī posse experientia docet (*a*); sed tales infectionem hactenus effugisse probabile est.

§. LV.

Dantur qui infantes delicatulos, molliores (*b*), hinc irritabiliore (*c*) & debiliores (*d*) tussi convulsivæ præ ceteris obnoxios esse statuunt; alii tamen observarunt nullam constitutionem corporis ab ea immunem fuisse (*e*). Qui morbillos nuper passi (*f*) vel proxime
me

(*a*) CULLEN, uti & in Havnia nostra.

(*b*) HOLDEFREUND honorationum modo infantes hac tussi præ reliquis laborare vidit.

(*c*) BUTTER.

(*d*) MELLIN, VOGEL.

(*e*) DE HAEN.

(*f*) HUXHAM, MELLIN, VOGEL etiam scarlatinam passus huc trahit.

me cum illis conflicturi sunt (*g*), facilius corripuntur (*h*). Præsentem quemlibet morbum spasmodicum (*i*) negotium dentitionis (*k*) faburram primarum viarum (*l*), digestionem læsam (*m*), refrigeria (*n*) huic morbo inducendo favere perhibent. Arthriticos & exanthematicos adfectus suppressos, & ulcera intempestive consolidata, eundem inferre dicit VOGEL.

§. LVI.

(*g*) VOGEL.

(*h*) In genere cum his valde convenit.

(*i*) BUTTER.

(*k*) Id. uti & HOLDEPREUND.

(*l*) BUTTER. SELLE. Defectum boni alimenti BUCHAN *Domestic Medicine*.

(*m*) BUCHAN.

(*n*) BUTTER. Transpirationem læsam BUCHAN.

§. LVI.

Morbum endemium ullibi dari non legitur (o). In suo gressu tamen epidemiam, vel si mavis, contagium ad certos tractus sese adstringere observatum est (p).

§. LVII.

Epidemicam vero esse tussim convulsivam (q) non potest negari. Sporadicam observatam esse, nullum exstat testimonium. Cum vero omnis epidemia a certa quadam aëris constitutione pendeat, nobis non satis cognita, non possunt non variare assertiones auctorum circa anni tempus & aëris qualitates,

(o) BUTTER.

(p) Id. & BISSET.

(q) ROSENSTEIN, SAUVAGES, DE HAEN, VOGEL, CULLEN, QUARIN, SELLE & tot alii, illi præsertim qui singulas epidemias descripserunt.

tes, unde Tussim convulsivam induc-
tam esse putarunt. Tempestatem hu-
midam accusarunt nonnulli (r); sed
simplicem qualitatem aëris, vel eius
mutationem subitaneam, non esse so-
lam morbi causam, inde elucescit,
quod similis tempestas toties redit, ne-
que tamen secum fert tussim convul-
sivam (s). Non ideo negamus impe-
rium certæ cujusdam qualitatis aëris
in hunc affectum; sed facile concedi-
mus tempus autumnale & vernale, alii
tussi inducendæ aptissimum, etiam ad
convulsivam disponere, aëremque humi-
dum eandem exasperare, & atmo-
sphæ-

(r) SYDENHAM, HOFMANN, HUXHAM,
VOGEL, MELLIN, HOLDEFREUND &c.

(s) Tempestatem parum facere ad hunc mor-
bum BUTTER statuit. Subitaneas in aëre
mutationes modo hunc, modo alium affec-
tum gignere, recte monet КЕСК.

sphæram in genere ad diversitatem epidemiæ conferre posse.

§. LVIII.

Unde ad illorum accedo sententiam, qui pro causa occasionali communi (*t*) tussis convulsivæ habent miasma quoddam, certis temporibus in aëre hærens (*u*), quod specificam habet naturam (*v*) vimque multiplicativam (*w*), quodque eos tantum, qui hunc morbum nondum passi, adeoque ad illum dispositi sunt, corripit (*x*).

§. LIX.

(*t*) Ametastasi morbi exanthematici etiamsi bene curati, hoc malum forsan orire DE HAEN putat.

(*u*) ROSENSTEIN, BISSET, BUTTER, HOLDEFREUND, CULLEN.

(*v*) CULLEN.

(*w*) ROSENSTEIN.

(*x*) Id. BUTTER.

§. LIX.

An contagiosum sit istud miasma & infectione propagetur, quæstio est, cui solvendæ imparem me fateor. Plurimi quidem, iique gravissimi viri, confidenter affirmant (*y*), alii suspicantur (*z*), alii negant (*a*). Argumenta pro hac vel illa parte militantia hic adferre non fuit instituti ratio (*b*). Videtur tamen non parum ponderis habere illud (*c*), quod epidemicus potest esse morbus, neque tamen contagiosus; & omnino probabile est, nunquam

(*y*) ROSENSTEIN, BUTTER, HOLDEFREUND, CULLEN, BISSET.

(*z*) SAUVAGES, SELLE, QUARIN. Non raro contagiosam esse STOERK.

(*a*) VOGEL, STOLL. Ad hunc censum quoque pertinere videtur MELLIN.

(*b*) Ex affirmantibus plurimas rationes congeffit BUTTER.

(*c*) MELLIN.

quam cum certitudine evinci posse contagiosam tussis convulsivæ naturam, antequam insitione instituta cum sanis a loco, ubi epidemia regnat, remotis communicata fuerit (*d*).

§. LX.

Causam proximam morbi sistere videtur illud miasma, vel simpliciter per epidemiam, vel simul per contagium, in vias alimentares (†) atque aëriferas susceptum (*e*) in utraque sede deinde habitans, humores utroque sibi assimilans, spasticosque affectus morbum sustentantes ibi producens, naturam iterum

(*d*) KECK.

(†) Ventriculum puto; nam BUTTERI sententia, in intestinis hæere, infirmis innititur argumentis Maxime stomachalem, non ideo pulmonibus minus infestam dicit DE MEZA.

(*e*) ROSENSTEIN.

rum iterumque ad molimina sese expellendi sollicitans, adque hanc expulsionem certo tempore & processu (*f*) egens, & interea totum genus nervosum debilitans atque irritabilitatem augens.

§. LXI.

Sedem mali esse duplicem, nempe in primis viis non fecus ac pulmonibus & aspera arteria; in illis autem fomitem hærere, qui per resorptionem (*) irritamentum in viis aëriferis jugiter alit vel renovat, omnia suadent.

D

§. LXII.

(*f*) Semel susceptum non posse subito sufflaminari recte monet BISSET. Consentit MILLAR *on the Asthma and whooping cough.*

(*) Simplicem consensum non posse tam immanes producere spasmos, longe mitior tussis stomachalis docet.

§. LXII.

Ad naturam morbi quod spectat, illum esse epidemicum, forte etiam contagiosum, porro periodicum atque spasmodicum, adeoque nervosum, ex dictis patet. Cum morbis exanthematicis magnam tamen habere analogiam (g) docent synchrona fere ejus apparitio (h) in Europa, (si hanc credere licet), grassatio epidemica & valida suspicio illam esse contagiosam & idem subiectum semel tantum invadere, & symptomata catarrhalia in principio præludentia, impossibilitas denique susceptum in progressu subito coercendi, forte etiam metastases & sequelæ (i). Longe probabilior est hæc similitudo cum morbillis

(g) BISSET.

(h) Miramur, hoc argumentum haud adductum esse a Cl. viro.

(i) Neque hoc usus est sententiæ auctor.

billis, variolis atque scarlatina, quam
um febribus intermittentibus (*k*).

Morbi curatio.

§. LXIII.

Tussis convulsivæ therapia innititur
potissimum tribus indicationibus, sci-
licet:

- I. morbum ipsum rite tollendi;
- II. paroxysmorum violentiam in-
fringendi;
- III. recidivam avertendi.

§. LXIV.

Prima atque palmaria indicatio tria
iterum requirit:

- a*) ut miasmatis expulsio adjuvetur;
- b*) statui spasmodico occurratur;
- c*) sanationis obstacula removeantur.

§. LXV.

Miasmatis expulsiōem sine prævīa, a nonnullis laudata, sed, me iudice, vix unquam necessaria nec semper tutā, ejus correctiōe, ociissime adjuvamus variis evacuantibus. Inter hæc omnium fere concensu (*) principem locum tenent Emetica, utpote ab ipso naturæ conamini indicata, utramque viam infectum, (alimentarem non raro etiam deorsum) repurgantia, nec omni virtute antispasmodica destituta. Præ reliquis laudantur antimonialia & inter hæc, propter commodissimam administrationem, Tartarus emeticus. Danda sunt in intervallis, repetitis vicibus, eo crebrius quo gravior est morbus, donec ille notabiliter remiserit, quin etiam

(k) Pro qua militavit HUXHAM.

(*) Solus QUARIN superplua & suspecta putat.

am sub ipso alterantium usu. Optime cedunt, si vel sponte, vel addito laxante alvum simul moveant. Deinde ipsa Laxantia, & quidem leniora, eodem fere modo sunt propinanda; nec sua utilitate carent Clysmata evacuantia, quæ illorum vices toties suppleant. Expectorantia autem dulcia, oleosa, calida, caute hic sunt vitanda; Kermes minerale tutius est; Emetica tamen satis emungunt vias aëriferas. Venæ sectionem, a SYDENHAMIO pro sacra anchora habitam, non in omnibus, sed tantummodo in plethoricis & vehementer febricitantibus, præsertim adultis, administramus.

§. LXVI.

Post evacuantia rite adhibita, ad tollendum statum spasticum & enormem irritabilitatem datur potissimum Cortex Peruvianus, vel in decocto vel alia forma, quin in clysmatibus; modo so-

lus, modo pro re nata variis antispas,
modicis lenientibus &c. junctus. In-
terdum quoque summo cum fructu
Moschus propinatur, quem ad xv gr.
omni sexta hora in adultis dedit Ar-
chiatrorum Comes VON BERGER (1)
Flores Zinci in postrema epidemia cum
optimo successu dedit Ampl. Præses.

§. LXVII.

Ad removenda fanationis obstacula
quod spectat, hic commendanda ve-
nit plethoræ imminutio, vermium ex-
turbatio, dentitionis promotio; aër tem-
peratus, diæta stricta, vegetabilis, ec-
coprotica.

§. LXVIII.

Paroxysmi strangulationem minans ve-
hementia infringitur Antispasmodicis
tempestive & circumspecte datis, vesi-
catorio nuchtæ præsertim admoto, ve-
næ-

(1) *Act. Soc. med. Havn. T. I.*

næfectione, hirudinibus, balneis tepidis. Si ingluvies accusanda, digito faucibus intruso vomitus cietur. Interdum convenit pugno concutere scapulas, ne sub tussi suffucetur æger. In asphyxia frictionibus utendum.

§. LXIX.

Recidiva arcetur, bona medendi methodo, evacuantibus præsertim liberalius datis, Corticis usu pauculum protracto, bona diæta & sedula illorum omnium, quæ malum revocare diximus, vitatione, transitu denique in aërem salubrem, forte etiam balneo frigido, & equitatione in adultis.

§. LXX.

His omnibus accurate adhibitis, crisi simul aut metastasi benigna, quæ forte accidit, rite sustentata, optime quoque arcentur tristes hujus tussis sequelæ. Contra hernias & lordoses præsidio est

positura thoraxque corpus suffulciens
& muniens, neque tamen respira-
tionem impediens. Vesicatoria in
suppuratione servata, vel fonticuli, pe-
riculosam quamdam metastasin avertere
possunt. Jam præsentis morbi se-
cundarii huc non amplius sunt re-
ferendi.

§. LXXI.

De singulis indicatis enarratius expo-
nere, auctoritatesque adducere non si-
nunt angusti, quibus hoc specimen cir-
cumscribitur, limites. Unde etiam
non licet dijudicare tot remedia in hoc
morbo, tanquam salutifera laudata, uti
Oxymel scilliticum (*m*), Kermes mine-
rale (*n*), Oxyfaccharum (*o*), Elixir pec-
torale

(*m*) BISSET, STRANDBERG, BOURDELIN.
LENTIN, UNZER *Hamb. Mag.* T. VIII.

(*n*) DE HAEN *Path.* T. III.

(*o*) LEIDENFROST apud HANNES.

torale Wedelii (*p*), Ceram flavam (*q*)
 Geum urbanum (*r*) Gummi ammoni-
 acum (*s*), Cascarillam (*t*), Muscum
 pyxidatum (*u*), Polygalam amaram (*v*),
 & alia amara (*w*), Opium (*x*), Afam
 foetidam (*y*), Castoreum (*z*), Bella-
 don-

(*p*) SCHUSTER *Nov. A. N. C. T. I.*

(*q*) JACOBI *ibid. T. II.*

(*r*) FORBES *Diff. de Tussi conv. 1752.*
 KECK.

(*s*) BUCHHAVIO præeunte KECK.

(*t*) BROUZET *Educat. med. des Enfants*
 SCHUSTER.

(*u*) WILLIS *Pharmac. rat. P II.*

(*v*) FRITZE *Medicin. Annalen.*

(*w*) THOMSON *Medical Consultations.*

(*x*) STORK, SELLE.

(*y*) MILLAR, MURRAY.

(*z*) MORRIS.

donnam (a), Nicotianam (b) Valeria-
nam sylvestrem (c), Cicutam (d), Le-
dum palustre (e), Acida dulcificata (f)
Saccharum Saturni (g), Mercurialia (h),
Tincturam Cantharidum (i), Limaces
(k), Millepedes (*), cataplasma e C. per. &
Ca-

(a) BUCHHAVE in libello nuperrimo.

(b) GESNER.

(c) SAGAR.

(d) BUTTER, KECK.

(e) ROSENSTEIN.

(f) WERLHOFF vid. *Hannov. Mag.* 1766.

(g) SAUVAGES, HOFMEISTER apud AL-
BRECHT *Diff. de Saturn. & Jovial.*
usu 1773.

(h) HUXHAM, LENTIN.

(i) BURTON on *Non naturals* LETTSOM,
SIMS, adversarius BUTTERI.

(k) DE HAEN.

(*) HILLARY *diseases of Barbadoes.* FORBES.

Castoreo (*l*), Unguentum ex Allio plantis pedum (*m*), aquam frigidam scrobiculo cordis (*n*), Oleumque Scorpionum lumbis (*o*), vel unguentum pectorale thoraci (*p*) admovendum.

Morbi prophylaxis.

§. LXXII.

Quomodo vitari possit iste morbus, ventilatum non invenio apud auctores. Patet tamen in tempestiva ad loca ab epidemia immunia fuga etiam hic quoque securitatem esse quærendam.

(*l*) HANNES.

(*m*) BUCHAN.

(*n*) LA VALLÉE *Journ. de Med.* 1768.

(*o*) VOGEL.

(*p*) Id.

THESES.

I.

Humor aqueus oculi ad res in corpore humano maxime mirandas pertinet, præsertim in camera anteriore.

II.

Vera digestionis sedes non est in ventriculo.

III.


Alimenta liquida, sicut pulticulæ tenues & juscula, insalubrem sistere cibum recte statuitur.

IV.

In chylicatione explicanda bili tribui solet nobile officium quod alii humori debetur.

V.

Idem calculus bilarius inflammabilis est & non inflammabilis.



RECTOR
ET
PROCANCELLARIUS
CUM
SENATU ACADEMICO
SUMMOS
IN ARTE MEDICA
H O N O R E S
VIRO

DOCTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
*AMUNDO RICHARDO
HOLTERMANN*

PHYSICO REGIO IN SÆLANDIA
MERIDIONALI
CONFERENDOS INDICUNT.

HAVNIÆ.
TYPIS J. R. THIELEANIS.
MDCCLXXXVI.

7.

LECTOR

PROFESSOR

SENIOR

IN ARTE MEDICA

H. O. N. A. S.

VINO

DOCTOR

OF THE

UNIVERSITY

OF MEDICINE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE



Logarithmorum inventorum gloria quamvis tam constanter quam merite jam ab omnibus tribuatur Nepero, Baroni Scoto: tributa tamen & eadem est aliis interdum. Ut vero igitur inventori jus suum vindicemus, contrasentientum vel justitia vel injustitia in ipsis fontibus est disquirenda, atque ex eo quod patebit, dijudicanda. Ne vero in ista disquisitione a vera inventoris notione aberremus, id primum ponamus, esse nobis eum inventorem, qui non facillima quidem cogitationum serie, procedens ab enuntiatis abstractis, transgressum quærit ad nova,

itidem abstractas positiones; qui porro, ut utile fiat inventum, procedit ad proposita, quæ dum applicantur, prægnantia sint, atque eo ab auctore suo producantur, ut penitus possint ad usum referri. Quæ quidem applicationis, quæ fieri possit, & quæ vere fit, determinatio nobis necessaria videtur, si duorum inventorum merita sint disquirenda, quorum alter nutum tantum dedit, alter vero inventum ad maturitatem quamdam produxit, cuique contigit simul, ut cursum daret applicationi.

Tribuitur vero inventorum Logarithmorum gloria mox Bavarorum Politico *Herwarto ab Hohenburg*, & nostrati etiam eximio Astronomo *Christiano Longomontano*; mox ipsi *Archimedi*, vel *Stifelio* etiam, & *Iusto Byrgio* Helveto. Quod ad illos duumviros attinet, processisse id, quod illis

illis tribuitur, ab Historicorum amathematicorum notionibus minus rectis, ex disquisitione nostra patebit: de posterioribus vero triumviris id evictum dabimus, invenisse quidem illos aliquid, quod propius est Neperiano invento; quo tamen nihil omnino adimunt felicioris in applicando & divulgando invento viri merito.

Et quod *Herwarto* quidem *ab Hohenburg* illa inventi gloria tributa sit, ansam sine dubio dedit locus in Gassendi vita Tychonis Brahei, ed. 2 Hagæ Comitum 1655 4to p. 165. Narrat ibi Gassendus, scripsisse Tycho- nem die Augusti ultima a 1599 *Herwarto ab Hohenburg*, qui sequenti mensi responserit, & inter alia id quoque narraverit: "Nihil morari se sol-
"vendi cujusdam Trianguli difficulta-
"tem: solvere se enim, multiplicatio-
"num ac divisionum vice, additiones
A 3 "solum,

"solum, subtractionesque usurpare." Ad
 quod Gassendus transeunda annotat,
 "quod, ut fieri posset, docuit postmo-
 "dum suo Logarithmorum Canone
 "Neperus." Nunc vero, si cui de Lo-
 garithmis plura non innotuerint, quam
 quod sint artificiales Numeri, qui Multi-
 plicationum atque Divisionum difficilio-
 rem processum mutant in faciliorem Ad-
 ditionis atque Subtractionis; ille quidem
 opinari posset, habuisse generosum ab
Hohenburg inventum quoddam a Nepero
 postea divulgatum. Accedit quod ip-
 se Gassendus, harum rerum idoneus
 iudex, nullo modo illam conjecturam
 removeat, sed verbis potius, quæ ad-
 dit, confirmet. Unde factum est, ut
 Joannes etiam Caramuel a Lobkowicz
 in *Mathesi nova*, 1670, Campaniæ,
 folio, p. 1197 ita enuntiet. "De Lo-
 "garithmorum inventore nemo dispu-
 "tat, nam fuisse Neperum supponunt:
 "at dubitare incipiet, qui Gassendi l. c.
 "recen-

"recenseat." Quamquam vero Caramu-
 el dubia tantum contra communem
 famam movere fatagat: ulterius ta-
 men nuper processit vir reverendus
Josephus Tanzer, Mathematicum Mo-
 nachii Prof., qui in suo *Matheſeos Com-*
pendio (Lehrbuch) 1780, Monachii,
 8vo p. 177 omnino ponit, fuisse ge-
 nerosum ab Hohenburg Logarithmo-
 rum inventorem, sed nullo, quam illo
 Gassendi loco, adjutus, ut Bavaro suo
 Scoti illius gloriam vindicet.

At vero, si numquam suam mu-
 tandæ Multiplicationis ac Divisionis in
 Additionem ac Subtractionem rationem
 divulgasset *Herwartus ab Hohenburg*;
 nihil nunc esset in promptu, quod con-
 jecturis illis vel enuntiatis authentice
 opponi potuisset. Sed adest in Regia
 majori Bibliotheca Christianoburgensi,
 rarissimorum atque utilissimorum libro-
 rum refertissima, ipsum illud opus,

Herwartianæ diligentia monumentum
 immortale, quod antea nobis ex cla-
 rissimi Scheibelii tantum recensione
 innotuerat, quo vero ipso jam uti con-
 tigit. Operis rubrum est: Tabula
 arithmetica *προσθαφαιρεσεως* universalis,
 quarum subsidio Numerus quilibet ex
 Multiplicatione producendus per solam
 Additionem; & Quotiens quilibet, e
 Divisione eliciendus, per solam Sub-
 ductionem invenitur; e Museo *Joan-
 nis Georgii Herwart ab Hohenburg*,
 Ex-Assessore summi Tribunalis Impe-
 rii, & Ex-Cancellario supremo (ere-
 nissimi utriusque Bavariae Ducis, Suae
 Sereniss. Celsitudinis Consilarii ex in-
 timis, Praesidis Provinciae Schvabæ, &
 inclytorum utriusque Bavariae Statuum
 Cancellarii. 1610, Monachii Bavar-
 arum, folio majore, plagulis 250. O-
 peris grandioris inspectio omnia, quæ
 in diligentissimi Herwarti, quasi Lo-
 garithmorum inventoris, gloriam dici
 potu-

potuissent, penitus evertit. Non plura enim continet, quam omnium Numerorum ab 1 ad 1000, multiplicatorum iisdem numeris, producta; atque adsignata est cuique Numero sua pagina, ita ut 10 columnis, quas vocant, omnia ejusdem numeri multipla inveniantur, producta illa quidem suis multiplicatoribus ab 1 ad 1000. Nul- lum igitur superest quin illud a ge- nerosissimo Herwarto erga Tychonem laudatum inventum mutandæ Multipli- cationis ac Divisionis in *Additiones* at- que *Subtractiones* idem ille sit *Abacus Pythagoricus* ad 1000 numeros pro- tractus, cujus calculandi labor fane fu- it operosus & imprimendi impensa fu- erunt viro generoso digna. Neque ex hoc opere bonos potuisse proveni- re fructus, negari potest, nisi statim Neperi inventio supervenisset; quæ qui- dem id effecit, ut diligentissimi labo- ris opus tantum non in oblivionem

venerit. Quam parum vero illud opus Logarithmorum Tabulis comparandum, de hoc ne verbum quidem addam; ut hoc taceam, in opere ipso perficiendo nullum subesse ingeniosum inventum, quod Tychonem celare operæ fuisset pretium: quum clara illa notio *Abaci Pythagorici* pro Factoribus ab I ad 1000 totum solvisset ænigma.

Alia conjectura, qua egregio nostri *Christiano Longomontano*, sed sæpe quidem parum determinate, Logarithmorum tribuitur inventum, ea sine dubio est traditio, quam in Henrici Briggii vita, in Athenis Oxoniensibus, T. I. p. 549 sic refert Antonius Wood. Quum *Craigius* ille Scotus, Medicinæ Doctor, quem Tychonis Brahei adversarium fuisse novimus, ex Dania reverteret, & Neperum in prædio Merchiston prope Edinburgum videret: narrabat ille huic de novo in Dania facto

facto invento, quod Longomontano adscriberetur, quo quidem Multiplicatio atque Divisio in Additionem Subtractionemque verteretur. Ille vero quum de hoc invento distinctius nihil posset pronuntiare, quam fieri illud *Numeris proportionalibus*: rogabat eum hic, ut redire ad se vellet; quo facto monstrabat illi suum *mirabilem Logarithmorum Canonem*. Ad quam traditionem confirmandam, (quam itidem in Dictionario suo, sub nomine Briggs, narrat Chauffepié), Woodius auctorem illius nominat Wilhelmum Outhredum, quem illorum virorum contemporaneum hoc audivisse vero erat simile.

Quæ ita Woodius circa a. 1691 minus determinate de illa fama referebat, quæque itidem Thomas Smith in Vitis quorundam eruditissimorum virorum, 1707, Londini, 4to repetebat;

bat; demonstrant ea satis quidem evidenter, nihil a Longomontano nostro accepisse ingeniosissimum Neperum, etiamsi ejusmodi aliquid invenisset noster, quum de inventi ratione nihil certe cum illo viro generoso communicare poterat Craigius. Unum quod hac data occasione possit conjici, quodque satis daret meriti nostrati, illud esset, quod Neperus, primo accepto nuntio de talis inventi possibilitate atque utilitate, ipse iterum de hac re deliberasset, atque meditando inventum perfecisset. At ipsi illi conjecturæ adversatur illud, quod Craigium statim post auditum hoc novum ad se redire rogaret Neperus: id quod forte non fecisset, si modo post illud auditum de re cogitare cœpisset; quia tunc non ita certus esse potuisset, se ipsum post aliquot jam hebdomadas ejusmodi aliquid fore inventurum. Magis ergo vero videtur simile, latuisse jam in *Neperi*
ani-

animo suum inventum, de quo tamen
 vel nihil adhuc litteris mandaverit, vel
 certo non elaboraverit; quod quia in-
 terdum faciendi animus erat, Craigi-
 um ad se redire rogaverit. Summum
 igitur, quod Craigii narrationi accep-
 tum ferre potuerit Neperus illud est,
 quod ansam hæc præbere viro potue-
 rit ingeniosissimo, inventi sui perficien-
 di atque litteris mandandi: quum ali-
 as fieri potuisset, ut vir ad rempubli-
 cam gerendam natus, qui auctorum
 numero inferere se noluerit, totum in-
 ventum latere apud se passus fuisset.
 Quibus omnibus rite perpensis, non
 refugium quidem celeberrimi Montu-
 cula quærendum videtur, in sua Ma-
 theseos Historia francogallice conscrip-
 ta, T. I, p. II, narrationem de nostri
 Longomontani invento unico illo ar-
 gumento refutante, vixisse nostratem
 usque ad annum 1647, itaque illi sa-
 tis superfuisse temporis, vindicandi si-
 bi

bi inventum suum, si tantum ipsi in eo juris fuisset.

Quidquid sit, si quis illam Craigii de invento in Dania facto narrationem in Neperi vellet injuriam vertere, cuncta ista molimina labefactata ruent, simul ac *Longomontani* nostri, de quo narrare poterat Craigius, inventum ipsum indicaverimus. Audiamus ipsa ingenui scriptoris verba, in *Astronomia sua Danica*, 1640, Amsterodami, folio, p. 7. dum loquitur de Multiplicationis ac Divisionis in trigonometricis calculis operosa difficultate, addens. "Proinde industria eorum in primis laudanda est, qui operam suam hic fructuose locarunt; inter quos certe, licet *ingeniosissimum inventum* Dni. J. Neperi, Baronis Merchistonii Scoti, in suo admirabili Logarithmo, a. 1614 in lucem edito, exstet, tamen, quia talis pragmatia nimium,

meo

"meo iudicio, a continua demonstrati-
 "onum inspectione, quæ forte incipi-
 "entibus magis necessaria est, remove-
 "tur, ideo hisse *compendium potius*
 "*seligendum* duco, quod regulam au-
 "ream in ipsa *δεδομένων* transactione, nec
 "minus per solam numerorum additio-
 "nem & subductionem, quas una vo-
 "ce *προσθαφαίρεσιν* vocant, absolvit." Di-
 stincte satis in hoc ipso loco noster
 Nepero inventum illud tribuit Loga-
 rithmorum; quibus opponit *Prosth-*
aphæreses, utpote aliam, cuius ope
 possumus carere Multiplicatione atque
 Divisione, methodum præcellentem.
 Quæ ipsa, quum parum temporis ante
 Neperianum inventum viguerit, statim
 in oblivionem transiit; neque iterum
 invaluit, nisi postquam præcepta tri-
 gonometrica analytice fuerunt tractata,
 sicut inter alios docuit N. L. de la
 Caille in *Trigonometrie spherique* §.
 220 & 224. Ceterum de *Prosthaphæ-*
rese-

reseos invento tradit Longomontanus, factum id esse communi Tychonis atque Wittichii ope pro studiosis Uranicis, qui in calculis suis in Hvæna insula isto compendio primum a 1582 utebantur illamque esse a *Christophoro Clavio* atque *Michaele Jæstelio* multum quantum adauctam. Cujus quidem methodi historiam solide, ut solet, tractat celeberrimus *Scheibeli* in notitia librorum Mathematicorum (*Einleitung zur Mathematischen Bücheskenntniss*) Tom. II, pag. 16 sq. ad quem librum boni fructus plenissimum Lectores nostros ablegatos velimus.

Quæ plura de conjecturis, quibus alii aliis Neperi inventum tribuere maluerint, scribere decreveramus; ea jam plagulæ angustia vetante, ad aliud tempus differre cogimur: quum non nisi pauca illa præfanda erant experientissimi Candidati causa, quem ipsum vitæ suæ

suæ transactæ atque studiorum rationes
exponentem producemus: quo ex istis
æque, atque ex eruditissima, quam cra-
stina die defensusus est, disputatione
æstimare queant lecturi, quam dignus
iste honoribus sit, quibus mañtabit eum
experientissimus Medicorum Ordo,
quin quibus Rex ipse Potentissimus di-
gnum eum censuit. Verba vero ipsa ex-
perientissimi viri hæc sunt:

*E*go AMUNDUS RICHARDUS HOL-
TERMANN in insula Gisköe Præfecturæ
Nidrosieasis in Norvegia natus sum die 3tio Mart.
Anno 1757. Patrem, cujus sancta mihi semper
erit memoria, habui JOHANNEM HOLTER-
MANN, Mercatorem et Commerciorum Consilia-
rium. Mater adhuc superstes INGEBORG
CATHARINA HAGERUP, HILARII HA-
GERUP, Dioeceseos Nidrosiensis olim Episcopi,
filia, utinam diu, nobis lætitia et dulce decus vi-
vat! Postquam sub ductu cujusdam MOLLERII,
qui Nidrosia degebat, primis Religionis et latini
sermonis elementis imbutus essem, in scholam Helsing-
goranam 1770 misso, locum ibi inter 4tæ classis
B Alum-

alumnos mihi dedit Cell. ARILDGAARD, ea tempore
 scholæ hujus Rector Celeberrimus. Hic varios
 nactus sum Præceptores, quorum memoria gratis-
 sima mihi erit. Jure autem laudanda est cura illa
 solers, qua me instituebat Cl. MICH. ÖRSLÖF,
 4tæ Classis Collega, quemadmodum quoque Phi-
 los. Magister GEORGIUS CRONBERG, 5tæ Classis
 Collega et JACOBUS SIVERTZ tunc temporis scholæ
 Conrector, imensa denique illa ampl. JACOBI BA-
 DENII, in Lyceo nostro jam Eloquentiæ Professō-
 ris doctrina, qua frui mihi licuit, et cujus te-
 stimonio ornatus Musarum hanc sedem anno 1776
 adii. Superato, quod vocant, artium Examine,
 sequenti hyeme Prælectiones frequentavi philoso-
 phicas Virorum Illustrum et Gravissimorum,
 sedulus nimirum interfui Astronomicis et Mathe-
 maticis BUGGII, Logicis et Metaphysicis RISBRI-
 GHII, Philosophiæ Moralis OBELITZII, Physicisque
 KRATZENSTEINII. — Finitis hisce prælectionibus,
 Examen sustinui Philosophicum. Cum jam in eo
 essem, ut certi cujusdam studii genus eligerem et
 cum maxime mihi medicæ artis studium arrideret,
 avide hoc arripui. Jam vero omnis quoque pe-
 cunia, quam mecum benefica ex Schola attuleram,
 consumpta erat, nec Pater me, etsi piissimus vellet,
 hac in re sublevare poterat; debilis enim ingra-
 vescentibus jam annis, cum variis fortunæ injuriis
 opes

opes plerasque suas exhaustas videret vix quæstum sibi, dilectæ matri et fratri meo parvulo cum sorore facere valebat. Aut relinquenda igitur mihi erat alma hæc Musarum sedes, aut more aliorum, qui mecum in simili fortunæ casu constituti erant, eligenda via, qua cum quæstum facere, tum etiam studiis meis quemadmodum vacare possem. Cogebat igitur bonam cujusque diei partem in id impendere, ut levissima mercede pueros prima Religionis et sermonis latini elementa docerem. Magnam vero hujus jugi partem excutere postea potui, cum beneficio Viri summe Venerandi JANSO-
NII, nec non Cl. SEIDELITZ, tum temporis Collegii Regii Præpositi, quorum ille mihi locum in Communitate Regia, hic vero in Collegio Regio benignissime concessit. — Mox cum scholæ medicæ aperirentur, sequenti tempore, in prælectionibus medicis audiendis totus fui, nec umquam Illustrissimi ROTTBÖLLII Anatomicis, Physiologicis, et Botanicis defui. — Physiologiam adhuc, Pathologiam et artem obstetriciam Theoreticam et Practicam solide et concinne mihi explicavit Ill. SAXTORPH. Ill. CALLISENIUM Chirurgiam Theoreticam et Practicam docentem audiui, et operationes in cadaveribus instituentem vidi. — Ampl. Prof. TODE Pathologiam, Terapiam generalem et specialem, Semioticam, Methodum concinnandi formulas nec

non *Materiam medicam* iterum iterumque exponen-
tem audiui. — *Hujus Viri* benignum in me ani-
mum, optima *studium* hoc meum recte instituendi
consilia et favorem denique singularem, quo me
indies amplexus est, præter multa alia, quæ huic
Charissimo meo *Præceptori* debeo, gratissima me-
moria ad mortem usque servabo. — *Præcepta*
clinica nec non *Praxin clinicam* ad lectum ægro-
torum me docuit, *Ampl. Prof. BANG. Cl. TYCH-*
SEN *Chemiæ* docentem audiui. — *Ampl. WINS-*
LOVIUM, *Nos. Frid. Chirurgum Primarium*, ægro-
tos *Chirurgicos* in *Nosocomio* visitantem, comita-
tus sum, casusque *Chirurgicos* obvios exponen-
tem audiui. — *Anno 1780 Examen Chirurgi-*
cum, vulgo dictum *Cursum*, profectus meos judi-
cante *Il. Prof. HENNINGS*, sustinui; mox deinde
Communitate et *Collegio Regio*, triennio nondum
finito, valedixi, et partim necessitate coactus, par-
tim cum *Perillistris Archiater AASKOW* id mihi
persuaderet, munus *Chirurgi primarii navalis* sus-
cepi, iterque feci navi bellica minori *Kiel* dicta,
cujus *Præfectus* generosissimus *CLAUDIUS TÖN-*
DER per totam illam æstatem mare germanicum
et oras *Belgii* maritimas observare jussus erat. —
Insequente anno simili functus sum munere in
navi bellica majori *Sophia Friderica* dicta, quam
ducebat *Illustrissimus Adamus Ferdinandus Comes*
de

de Moltke, ut a pacificis Norvagiæ oris hostilia abigeret. — Tristissimus vero redeuntem me domi exspectavit nuntius, Charissimum mihi Patrem, morte sua, nobis acerbissima, Matrem dilectissimam cum parvulis duobus in re haud lauta reliquisse. — Sequenti anno 1782 Illustres Viri KRATZENSTEINIUS, cujus benignissimi in me semper animi gratus recordabor, ROTTBÖLLIUS, nec non Prof. N. C. KALL, qui hoc anno Facult. Philos. Decanus fuit, me stipendium Fiuerenii sublevandum benignissime decreverunt, quo, etsi triennalis tantum ejus usus mihi concenderetur, magnopere sum suffultus. Ejusdem anni Aprili mense locum mihi in Nosocomio puerperarum concessit Ill. SEXTORPH. — Hic ea exercere didici, quæ Præceptor Charissimus Fautorque benignissimus antea me æque concinne ac jucunde prælectionibus suis docuit, singularique ejus favore et benevolentia Praxin obstetriciam tam in Nosocomio puerperarum quam in praxi sua urbana ad manum ejus et ductum exercere mihi licuit ad mensem usque Novb. Anni 1785. Qui locus eo mihi gratior fuit, quo diutius eo mihi exoptaveram. — Credebam me jam a curis domesticis, studiorum certis hostibus, liberatum iri, quibuscum semper hætenus confidatus eram. At succubuissem utique nisi quod virium deesset, dilectissimus meus Frater

KANUTUS HOLTERMANN suppeditasset. Debitas huic Viro persolvere gratias, non fuit levis mea scribendi ratio, si vero hac occasione jam mihi oblata, beneficia ejus tacere vellem, ingratussem. Relicta Patris domo alium hic inveni Patrem, qui sollicitam Patris curam cum intimo Fratris amore erga me conjungebat. Optima hujus Viri consilia, mihi semper utilissima fuere. Illi debeo, quod studiis meis hactenus vacare mihi licuit, illique debeo firmatam meam spem atque fortunam. Demum Mense Julio 1785 Examen sustinui medicum rigorosum, judicabarque ex suffragiis Censorum, Præceptorumque Gravissimorum dignus laurea Apollinari Academica suprema. Jam vero ab Augustissimo Rege Medicinam in Sælandia meridionali faciendi ergo vocatus, Dissertationem inauguralem de Tussi Convulsiva elaboravi, quam ut indulgens excipias, L. B. enixe rogo.

Post quam rite defendendam disputationem, summos viro in Medica arte honores decrevit Experientissimus Ordo;

Ordo; decretumque illud ratum habuit ex Regia auctoritate *Illustrissimus & Excellentissimus hujus litterarum Universitatis Patronus, Dominus JOACHIMUS OTTO DE SCHACK RATHLOU, Ordinis Elephantini Eques auratus, Regique Potentissimo ab intimis Regni Consiliis, &c. &c.* qui benignissimum suum consensum per *Procancellarium* perillustrem atque summe venerabilem, *HECTOREM FRIDERICUM JANSON, Th. D. & P. P. O.* significare voluit Senatui Academico. Honores ipsos medicos conferet viro experientissimo, qui disputaturo praeses atque adjutor praesto erit, *Experientissimus Vir, JOANNES CLEMENS TODE, Med. D. & Professor designatus, Ordini suo jam Prodecanus.* Actui vero disputatorio ut praesentes esse benigne velint, quicumque litteris nostris, in primisque arti favent salutari, Civesque praesertim nostri

stri academici, de hoc illos pagina hac
publica velimus rogatos.

P. P. HAVNIÆ, die Augusti,
MDCCLXXXVI.

*Sub Universitatis litterariæ atque
Ordinis Medicorum Sigillo.*